





# Sammelband 09

Index locorum in hoc volumine  
expressit ab omnibus

11. 29 Pf. LXXXIV.  
4. Math. II. 17. 18.  
38 Luc. I. 78.  
10 Act. XIII. 32. 33.  
20 1. Pet. V. 23.  
18 Col. I. 24.  
11 Gal. II. 14. 15.  
23 2. Cor. X. 11. 2.  
36 1. Pet. III. 18.  
38 2. Pet. I. 19.  
6 Iud. 9.  
38 Apoc. XII. 16.



1. *Amstelred. de naturalismo rom: eorū:*
  2. *Historia quaestioni quicquid maxime in regno coelorum*
  3. *Scilicet de resurrectione carnis Christi et eiusque resurrectionis spiritus*
  4. *Historia & doctrina de fidei Libellus ad Petrum II. 11. 16*
  5. *De natali die Christi sematibus*
  6. *De certamine inter Michaelē archangelum et diabolum de corpore Nativ. ad Iud. 9*
  7. *Basili. N. oratio de humana Christi generatione*
  8. *De igno dei, qui totos peccata mundi*
  9. *vidi: n. 5*
  10. *De resurrectione huius Christi demonstrata ex generatione filii Ad. XIII. 37. 73.*
  11. *De huius Christi spiritus infernalis triumphante ad Col. II. 14. 15. Carpius*
  12. *De pace in terra ex adventu Christi*
  13. *De nominibus Carpius, Doornick*
  14. *De operationibus gratiae*
  15. *Kipping animas rationes in demonologiam quatuor*
  16. *De vestigiis populi Antima de hominum mediators, apud veteres gentium sibi testibus*
  17. *De tributa sancta oporuno*
  18. *De reliquiis actionum Christi ad Col. 1. 34*
  19. *De palis eiusque pluribus numeris, et theologiamena*
  20. *De differentia huius pentecostis veteris et recentis, Carpius*
  21. *Habitu de Michaelē archangelo, eiusque apparitionis, festis et cultu in monte Gagano*
  22. *Ante dy proeres.*
  23. *De divinis humanum huius festis. Wernsdorf ad Col. XIII. 2.*
  24. *De nomine Dei ante resurrectionem carnis*
  25. *Christus pacifer. Wernsdorf.*
  26. *De dyo patris philosophiae fonte. Carpius. Doornick.*
  27. *De dyo imperatore. Wernsdorf.*
  28. *Amstelred. de historia carnis Christi quinquaginta*
  29. *Observationes philologice in huius Christi. Carpius*
  30. *Scidel de veritate resurrectionis huius Christi.*
  31. *De dyo. si non coronante ad quos ped em huius*
  32. *Disciplina carnis circa orationem dominicam.*
  33. *De ulla praeterea Christi per spiritum*
  34. *De momentis huius et chronis: ad delibendum natalem Christi diem.*
  35. *De uno ex trinitate nativitate. Amstelred.*
  36. *De spiritibus in custodia. ad I. Petri. III. 16.*
  37. *De pompate huius.*
  38. *Wernsdorf de huius phlogora nostro. ad Luc. 1. 78. 2. Petri. 1. 19. Apoc. XXII. 16.*
  39. *Carpius de offensione diaboli corporibus piomū deingata*
  40. *De dyo. I. S. de dyo. ad Col. 1. 20.*
- † *vid. 20 sequitur Carpius progr: de Christo sui corporis saluatore. Carpius. Ker. 21.*





1

DE  
NATVRALISMO  
ROMANAE ECCLESIAE

PROGRAMMA  
*FESTO PENTECOSTES*  
A. R. S. MDCCL.  
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
P. P.

---

HELMSTADII  
LITERIS SCHNORRIANIS.



DE  
NATURALISMO  
ROMANAE ECCLESIAE



IN ACADEMIA  
LITTERARUM





IOANNES ERNESTVS SCHVBERT

ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE

PRO-RECTOR

VNA CVM SENATV

S. P. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.



Quo excellentius est beneficium Spiritus Sancti effusio, &, quae cum ea connexa est, diuina mentium humanarum illuminatio, cuius hodie memoriam pie recolimus, eo magis detestanda est temeraria quorundam hominum persuasio, qui solam sibi rationem sufficere putant ad placandum DEum, vitamque & felicitatem sibi comparandam. Huius criminis non ii tantum rei sunt, qui extra christianae ecclesiae pomoeria degunt, aut in iis existentes quaelibet Christianorum sacra infernali furore aggrediuntur, sed, quod mireris, pestiferum hoc dogma ea ipsa religiosorum hominum societas fouet & alit, qui se solos Christi fideles esse gloriantur. Mira hac in re est doctrinarum cleri romani contradictio, & incredibile multis videbitur, quod ea ipsa ecclesia, quae vera DEI reuelatione haud contenta, alias, per tot temporum decursus ad suam vsque aetatem oraliter propagatas, finxit, & quam nimia credulitas in superstitionum vortices praecipitauit, quae haec, inquam, ipsa ecclesia simul in infidelium castris militet, & Naturalismi principia non leuiter tueatur. Equidem, vt verum fatear, hanc impietatem externe damnant Pontificii, & forte etiam, quod Deus



cordium scrutator optime nouit, eam interne serio detestantur. Ast praecipuum tamen religionis Romano-Catholicae caput ita comparatum esse obseruauimus; vt uerus inde Naturalismus haud obscure consequatur. Hic igitur error; cum magis sit vitium doctrinae quam personarum, quamuis imputari nequeat Catholicis in Naturalismi culpam; operae tamen pretium est; vt quod nunc asseruimus, aliquando demonstretur, & sic nouae reddantur rationes, cur maiorum nostrorum uestigis insistentes eorum dogmata improbemus.

Illud doctrinae pontificiae caput, quod Naturalismi principia continere credimus, est ARTICVLVS DE IVSTIFICATIONE, ex quo generatim ueritates erroresque fundamentales in uniuersum diiudicari debent. Hunc enim PATRES TRIDENTINI ita tradiderunt:

1. *Hominem oportere peccata sua agnoscere, diuinae iustitiae metu concuti, simul uero DEi misericordiae consideratione in spem erigi, DEum sibi propter Christum fore propitium, porro aduersus peccata per odium & detestationem moueri, quae est poenitentia, inchoare nouam uitam, & seruare diuina mandata;* (a)

2. *Hanc animi dispositionem immediate sequi iustificationem, quae non tantum est peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis;* (b)

3. *Ita uero iustificatos, seu hanc internam iustitiam & sanctitatem consecutos, semper incrementa capere in uirtute, & sic magis magisque iustificari, quae sanctitatis augmentatio illis uulgo dicitur secunda iustificatio;* (c)

4. *Fructum huius iustificationis esse aeternam uitam, quam iustificati hac sua iustitia interna actu promerentur.* (d)

Pa-

(a) Vid. CONC. TRID. sess. VI. cap. 6.

(b) Ibid. cap. 7.

(c) Ibid. cap. 10. Conf. BELLARMINVS de Iustif. Lib. II. cap. XV. Dispp. Tom. IV. p. 844. & Lib. IV. cap. XVIII. p. 956.

(d) Ibid. cap. 7. & 16.



Parum aut nihil prorsus haec iustificatio ab ea differt, quam totius sui Systematis principium esse voluit SOCI-  
NVS, nisi quod hic mentem suam clarius & apertius ex-  
posuerit. Sic enim ille: *DEus pro summa & sola sua bonita-  
te olim decreuit omnibus respicientibus, & in posterum mun-  
danis cupiditatibus valedicere iussis, sobrie, iuste, & pie in  
praesente seculo viuentibus, omnia peccata condonare, eos-  
que post hanc mortalem vitam ad immortalem a mortuis ex-  
citando transferre, si modo ab eo vitae instituto, ne ipsius  
quidem mortis terrore, teterrimae licet ac detestabilissimae,  
dimouerentur.* (e) Hac vtriusque partis doctrinae com-  
paratione, si quidem eam ulterius persequi placeret, ad  
metam perueniri facile posset. Sed ne accidentales harum  
doctrinarum differentiae aliquid obscuritatis inferant,  
praestat utique, ipsum Pontificiorum Systema amplius de-  
clarare, eaque dogmata, quae fidem christianam tollere  
videntur, fideliter indicare.

PRIMUM itaque statuunt Pontificii, *homines non iustifi-  
cari per iustitiam Christi sibi imputatam, sed per iustitiam ba-  
bitualem, sibi infusam, & operibus legis acquisitam.* Commu-  
ne hoc & fundamentale Pontificiorum dogma esse, adeo cer-  
tum est, ut non opus sit vlla huius rei demonstratione. (f)  
Equidem GEORGIUS CASSANDER, magni nominis The-  
ologus apud aduersarios, iustitiam Christi hominibus im-  
putandam a negotio iustificationis excludendam haud esse  
putat. *Observatum est, inquit, a doctissimis viris, utramque  
iustitiam, (nempe Christi nobis imputatam & iustitiam no-  
vae vitae nobis communicatam,) in iustificationis notione  
coniungi debere. Et quidem de iustitia, i. e. merito & satis-  
factione Christi, nobis imputata, hoc est, nobis ac si propria  
esset attributa, scripturae satis aperte loquuntur. Per eam*

A 3

enim

(e) Vid. FAVSTVS SOCIIVS in Synopsi I. iustif. opp. T. I. p. 601.  
(f) Vid. CONC. TRID. Sess. 6. cap. 7. & can. 10. II. BELLARMI-  
NVS de Iustif. Lib. II. cap. II. opp. Tom. IV. p. 803. seq. STA-  
PLETONVS de Iustif. Lib. V. cap. I. p. 121.



enim iustitiam, i. e. meritum & intercessionem sanguinis Christi, peccata nobis remittuntur, i. e. non imputantur. (g)

Sed haec declaratio 1. aperte contradicit canoni X. Conc. Trid. qui omnibus iis anathema dicit, qui statuunt, homines per iustitiam Christi formaliter iustos fieri. Et quamquam deinceps canon XI. eos tantum damnat, qui dicunt, sola nos imputatione iustitiae Christi iustificari, ex quo sequi videtur, hanc iustitiam non prorsus excludi a negotio iustificationis; nostri tamen homines iam dudum demonstrarunt, magna in condendis hisce decretis versutia vsos esse Patres Tridentinos, & statum controuersiae illos callide occultasse, ne moderata ingenia in ipso regno pontificio ingentem illam doctrinae suae turpitudinem agnoscerent & abhorrent. (h) Et in hac quidem re manifesta fraus illis obiici potest. Per Christi enim iustitiae imputationem homines plane non iustificari, ex cap. VII. sess. VI. Conc. Trid. euentissime patet. *Vnica formalis causa*, inquit cit. loc. *est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur Spiritu mentis nostrae.* &c. Eadem CASSANDRI declaratio 2. iustitiam Christi & nostram propriam coniungit, & vtraque simul formaliter nos iustos fieri docet; quod absque contumelia Christi dici haud potest. Nam si iustitia Christi ad iustificationem nostram requiritur, illi vero nostra propria iustitia iungi debet, sane meritum Christi valde imperfectum est, nostraque opera indiget, vt homines Deo reconciliare & acceptos reddere possit. Denique 3. per iustitiam Christi non legis adimpletionem hic auctor intelligit, sed eius mortem & satisfactionem. Ex quo etiam ipse concludit, per hanc iustitiam nos non iustos fieri, sed peccatorum remissionem consequi. Quid vero hoc sibi velit ex mente

(g) Vid. GE. CASSANDER in Consult. de Art. Controu. inter Cath. & Protest. Art. IV. opp. p. 917.

(h) Vid. B. MART. CHEMNITIVS in Exam. Conf. Trid. Part. I. Loc. VIII. art. VII. sect. III. p. 201. seq.



mente Pontificiorum, nunc ulterius demonstrabimus.

SECUNDO enim vere statuunt, aut statuere eos oportet, *homines nec ad remissionem peccatorum consequendam Christi merito & satisfactione indigere.* Ea enim peccatorum remissio, quam ipsi ad iustificationem requirunt, non est actus forensis & iudicialis, non peccatorum non-impuratio, ut nos eam cum Paulo Rom. IV, 7. 8. explicamus; sed physica cordis purgatio, quae ipsa iustitiae & novae obedientiae infusione perficitur, neque a deo ab hac formaliter differt. Nam simulac quis bonus esse incipit, malus esse desinit. Et dum infunditur iustitia, expellitur iniustitia. Atque haec iniustitiae & peccatorum expulsiō Pontificiis dicitur peccatorum remissio. Audiamus hac de re peritum & fidelem oraculorum Pontificis interpretem. Sic ille: *Quodsi Concilium in eodem loco separatim meminit remissionis peccatorum & infusionis gratiae, id fecit, non ut significaret, duplicem esse causam formalem iustificationis, sed ut indicaret, duos esse terminos eius motus, qui dicitur iustificatio, siue duos effectus eiusdem causae.* Et paulo post: *Non potest autem haec translatio fieri, nisi homo per remissionem peccati desinat esse impius, & per infusionem iustitiae incipiat esse pius. Sed sicut aer, cum illustratur à sole, per idem lumen, quod recipit, desinit esse tenebrosus, & incipit esse lucidus; sic etiam homo per eandem iustitiam sibi à sole iustitiae donatam atque infusam desinit esse iniustus, delente videlicet lumine gratiae tenebras peccatorum, & incipit esse iustus, succedente nimirum tenebris peccatorum ipsa luce iustitiae.* (i) Haec verba satis docere puto, remissionem peccatorum ex mente Pontificiorum ab infusione iustitiae & charitatis non differre. Quemadmodum itaque huius iustitiae acquisitio non dependet ab imputatione satisfactionis Christi, neque ab ea qui-

(i) Vid. BELLARMINVS de Iustif. Lib. II. cap. II. Dissp. Tom. IV. p. 803, seq. Conf. etiam MART. BECANVS in Man. Controu. Lib. I. cap. XVI. p. 388, & qu. I. p. 390. seqq.



quidem dependere potest, ita secundum placita romanae ecclesiae nec peccata homini remittuntur intuitu satisfactionis Christi, illi imputatae. Si vero haec non est causa remissionis, peccata condonari possunt absque satisfactione & merito Christi.

Ex his cogitur TERTIVM dogma: *Homines absque Christo & ullo eius merito iustificari posse.* Ipsi enim Pontificii duo tantum requirunt ad iustificationem, nempe sanctificationem, & peccatorum remissionem. (k) Sed ad sanctificationem homini opus esse Christi iustitia negant. Remissionem vero peccatorum illi contingere posse absque Christi satisfactione, ex illorum principiis monstrari. Quare cum Christus humano generi ad iustificationem prodesse possit aut sua iustitia, aut satisfactione, aut utraque simul, Pontificii per consequentiam negant necessitatem meriti Christi ad iustificationis negotium. Idem dogma Catholicis amplectendum esse patet, si ad iustificationis modum, quem ipsi praescribunt, attendamus. Volunt enim, ut homo poenitentiam agat, i. e. ut peccata sua serio detestetur, & ut novum vitae genus ingrediatur, h. e. ut serio sibi proponat, imposterum pietati studere, & mandata DEI servare. Iam si certum foret, DEum poenitentes & qui secum constituunt novam vitam inchoare, iustificare, & denique saluare velle, haec omnia fieri possent absque Christo. Equis enim non doleret, se esse peccatorem, & quis non optaret, ut DEO imposterum servire posset, si certo sciret, DEum haec facienti iustitiam habitualement infundere, & aeternam salutem collaturum esse? Nos quidem poenitentiam & dilectionem DEI absque Christo impossibile esse docemus. Sed docemus hanc impossibilitatem, quia scimus, nobis in aeternum pereundum fuisse, nisi suum meritum Christus interposuisset, quo DEo reconciliati sumus, & quod nobis in peccatorum remissionem, inque iustitiam, quae coram DEO

(k) Vid. CONC. TRID. Sess. VI. cap. 7.



DEO valet, imputatur. Haec omnia vero cum negent Pontificii, asserentes, contritionem cordis & bonum propositum sufficere ad placandum DEum, nobisque iustitiam & vitam conciliandam, eandem poenitentiae & dilectionis DEI impossibilitatem statuere nequeunt. Sequitur ergo, secundum illos possibile esse, vt homo absque Christo iustificetur.

Verum hic sibi iniuriam fieri, & meras esse calumnias, clamabunt aduersarii, quando tam crassi errores illis imputantur, cum ipsi necessitatem gratiae per Christum acquisitae ad hominis iustificationem contra Pelagianos semper docuerint. Nec diffiteri possumus, eos honorifice loqui de merito Christi & illius necessitate. Mortem & satisfactionem Christi quod attinet, de eo prolixè disputatur in Catechismo Romano, eamque λόγον esse pro peccatoribus solutum amplissime asseritur. (l) TRIDENTINI vero decreuerunt, neminem iustum esse posse, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur. (m) Et quis tandem ignorat, Iesum Christum, ex communi Pontificiorum sententia, nostrae iustificationis esse causam meritoriam? Qua de re Concilium Tridentinum cit. loc. ita pronunciauit: *Meritoria (nempe iustificationis causa) est vnigenitus dilectissimus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis DEo patri satisfecit.*

At enim vero, etsi ea negare non possumus, nihilo tamen minus certum est, hoc dogma Pontificiorum, Christum gratiam iustificantem nobis promeruisse, & sine eius merito neminem iustificari, aut cum reliquis placitis, quae in ecclesia romana communi applausu recepta sunt, conciliari haud posse, aut nihil omnino significare, aut eo sensu accipi, quem ipsi alias improbarunt aduersarii. Nam

1. Communis, peruetusta, & decantata est Catholicorum

B

(l) Vid. CATECHISMVS ROMANVS Part. I, cap. VI. p. 42, seqq.

(m) Vid. CONC. TRID. Sess. VI. cap. 7.



§ ) 10 ( §

rum sententia, *homines ipsos mereri gratiam iustifican-  
tem suis propriis operibus, quae fiunt ante gratiam & sine  
illa, & quae vulgo dispositiones & praeparationes ad iu-  
stificationem vocare solent, qualia sunt contritio, peccati  
detestatio, nouae vitae propositum, spes, & huius ge-  
neris alia. Ita docent SCHOLASTICI ad vnum omnes,  
Doctores illi angelici, quos Romanae ecclesiae columnas  
esse, inter ipsos sanctos, quos religiose adorare illa iubet,  
relatos, nemo est, qui ignoret. (n) Et quamquam me-  
ritum illud operum, quo prima gratia comparatur, non  
est de condigno, vt illi loqui amant, sed tantum de con-  
gruo, est tamen meritum. MERITVM VERO DE CON-  
GRUO vocant, quod non ex dignitate operis, sed tantum  
ex aequitate obligat alterum ad compensandum. • *Congru-  
um enim est, inquit THOMAS, vt homini secundum suam  
virtutem operanti DEUS secundum virtutis suae excellentiam  
recompenset.* Neque recentiores ab hac sententia, de possi-  
bilitate ante gratiam merendi gratiam iustificantem, abiisse,  
EX BELLARMINO discimus, qui, *potest homo, inquit, non  
reconciliatus per opera poenitentiae impetrare & mereri ex  
congruo gratiam iustificationis.* (o) Similia apud alios  
scriptores pontificios reperire licet, quorum sententias  
nostri homines diligenter collegerunt. (p) Et talia quo-  
que dogmata exigit totum systema Pontificiorum. Nam  
si gratia iustificationis est habitus pie videndi, & homo  
praeuiis operibus naturalibus ad hunc habitum recipien-  
dum se disponit, aptumque reddit, aequum omnino est,  
vt habitualement quendam iustitiam DEUS illis infundat. Iam  
si*

(n) Vid. THOMAS AQUINAS in Summa Theol. Prima secundae  
qu. 114. art. 1.3. p. 258. seq. GABRIEL BIEL Lib. II. Sent.  
D. ff. 27. concl. 4. BONAVENTURA Lib. II. Sent. dist. 27. qu. 3.

(o) Vid. BELLARMINVS de Iustif. Lib. V. cap. XXII. Disp. Tom.  
IV. p. 1022.

(p) Vid. B. IO. GERHARDVS in Conf. Cath. Lib. II. Part. III.  
Art. XXIII. cap. VIII. Th. 2. p. m. 1533. seqq. AEG. HVNNIVS  
in Labyrintho papifico. §. 141. lqq.



si hanc gratiam iustificationis homines nondum reconciliati ex congruo merentur, si ex aequitate DEum obligant, ut hoc donum peccatori impertiatur, quid opus est alieno merito? Sane si hoc meritum alienum Salvatoris optimi ad nostrum accedere oporteret, sic ut gratia iustificationis nobiscum non communicaretur, nisi meritum Christi interponeretur, possibile foret, ut DEus unquam contra aequitatem ageret, & sic non suae tantum bonitati, verum etiam ipsi iustitiae limites poneret. Quod num facere possit sanctissimus ille DEus, ipsi iudicent aduersarii. Videant vero simul, qua ratione necessitatem meriti Christi ad promerendam gratiam iustificationis cum hac altera hypothese concilient.

2. Valde obscurum est, quid haec valeat loquendi formula apud aduersarios: *DEus gratiam iustificationis nobis meritus est.* Equidem, quid ea sibi vellet, interpretari quandoque tentarunt. Sed omnes illorum declarationes parum sufficiunt. Quid enim colligere licet ex hac paraphrasi, quam non nemo suppeditavit: *Sicut Christus est iustus & iustificans, sapiens & sapientes faciens, sanctus & sanctos faciens, ita suo merito suos merentes facit, impetrans & obtinens a patre suis membris non tantum saninitatem & salutem, sed etiam facultatem & efficaciam, qua DEo in ipsis operanti cooperentur.* (q) Si quis his verbis inest sensus, dupliciter accipienda sunt. Aut enim Christus merito suo effecit, ut opera irrogenitorum dispositoria & praeparatoria gratiam & iustitiam sibi infundendam mereantur, quam absque interueniente Christi merito mereri haud potuissent; aut ille merito suo effecit, ut haec opera in se meritoria facere possint. Prior explicatio repugnat communi Pontificiorum sententiae, opera haec in se esse merita de congruo. Quicquid enim per se tale est, illud per alienum meritum tale reddi non potest.

B 2

Poste-

(q) Vid. IAC. LATOMVS Lib. I. Confut. aduersus Guil. Tindalum Opp. p. 185.



Posterior sensus ideo obtineri nequit, quia haec opera ex communi Pontificiorum sententia proficiscuntur a libero arbitrio, & in hominis potestate fuissent, si vel maxime Christi merito ille semper caruisset. Nec DEus illa operatur, sed potius illis ad operandum excitatur. Quare & hic applicandum venit axioma illud Scholasticorum iam supra citatum: *Aequum est, ut homini facienti, quod in se est, DEus pro virtutis suae excellentia compenset.*

3. Forte vero haec est mens aduersariorum: *Christum merito suo effecisse, ut DEus hominem, si fecerit, quod in se est, intuitu huius meriti iustificet & saluet, quod non fecisset, nisi hanc gratiam Christus hominibus promeruisset.* Quae sententia etsi mitior est, & aliquam dignitatem Christi merito tribuere videtur, ab ipsis tamen aduersariis in aliis olim damnata est. Ita enim Sec. XVI. docuit FRANCISCVS PUCCIVS, in libro, cui titulum fecit: *De Christi Seruatoris efficacia in omnibus & singulis hominibus, quatenus homines sunt, assertio catholica, aequitati diuinae & humanae consentanea, vniuersae Scripturae Sacrae patrum consensu, Spiritu discretionis probata, aduersus Scholas, asserentes quidem sufficientiam Seruatoris Christi, sed negantes eius salutarem efficaciam in singulis, ad Pontificem Clementem VIII.* (r) In hoc libro prolixè probat, hominem, quicumque sit, si faciat, quicquid per naturae vires potest, a DEO saluari, & hanc gratiam humano generi per Christi meritum comparatam esse. Nolo iam de sententiae huius malignitate disputare. Sufficit, eam ab ipso Pontifice damnatam esse. Captus est enim auctor ob hanc haeresin ab Episcopo Salisburgenfi, & Romam missus in rogo periiit. (s) Videtis ergo, non inuenire aduersarios elabendi modum,

(r) Hic liber seorsim editus est A. 1592. insertus est FRANCISCI IVNII Operibus, & refutatus a LVCA OSIANDRO singulari scripto 1593. Tubingae edito.

(s) Vid. IO. MICHAELII Hist. Eccl. Lib. III. Sect. II. qu. 70. p. 885. cuius auctoritatem sequitur PETRVS BAILIVS in Lex. Hist. Crit. Art. Puccius Not. B.



dum, quando dicunt, Christum meruisse, vt homines suis operibus iustificentur. Quamdiu enim homines per opera iustificari creduntur, ad hunc finem non opus habent mediatore, nisi cum Socino dicere velimus, eum mitti oportuisse, vt voluntatem DEi, respicientes suo opere saluandi, humano generi manifestaret.

Hinc vero **QUARTVM** dogma Pontificiorum systemate contentum colligo, scilicet, *homines saluari posse absque Christo & eius merito*. Quodsi enim aeterna salus est effectus & consequens iustificationis, & iustificati eam de condigno merentur, vt iam supra obseruauimus, ad iustificationem vero non opus est mediatore, sequitur, & saluari posse homines sine Christo. Confirmatur hoc alio argumento. Redemptor humani generis vitam & salutem nobis comparat & satisfaciendo, vt huius meriti imputatione peccatorum remissionem consequamur, & legem pro nobis adimplendo, vt huius iustitiae imputatione pro iustis declaremur. Quod enim intercessionem addunt, sciendum est, eam nullius fore valoris, nisi in duplici illo merito fundata esset, illudque DEo tanquam sacrificium expiatorium offerret. Si quis ergo saluari posset & sine satisfactionis vicariae, & sine iustitiae mediatoris imputatione, is plane non indigeret redemptore. At vero nihil horum admittunt Pontificii. Tantum abest, vt iustitiae Christi imputatione nos saluari credant, vt potius talem iustitiam nobis vnquam comparatam esse penitus negent. Satisfactionem Christi equidem non tollunt, sed neque eam ideo praestitam esse docent, vt nobis imputaretur, nosque a peccatorum culpa & poena absolueret. Remissio peccatorum illis potius esse videtur purificatio cordis, quae ab infusione iustitiae habitualis separari nesciat. Quam peccatorum expulsionem nos quidem non negaremus, si modo illi iudicalem absolutionem seu peccatorum non imputationem, quae ab imputatione satisfactionis vicariae dependeat, praemitti paterentur. Hanc enim absolutionem, quae



proprie est peccatorum remissio, purificationem & sanctificationem sequi oportere, quis nostrum vnquam negauit? Negant vero aduersarii eam remissionem, quam nos illorum remissioni, aut rectius sanctificationi, praeponendam esse contendimus. Et qui eam remissionem agnoscerent, eum credere prohibeantur, sola fide peccatorum remissionem nobis contingere? Huius enim remissionis aliud medium non datur, nisi satisfactionis & mortis Christi apprehensio, quae fit mediante fide. Quemadmodum itaque ex his omnibus sole meridiano clarius patescit, homines, ex Pontificiorum sententia, saluari absque iustitiae & satisfactionis Christi imputatione, sic & firmiter concludo, talem esse illorum doctrinam, vt, qui eam amplectuntur, se sine Christo eiusque merito saluari posse credant, aut certe credere debeant, nisi infinitis contradictionibus implicari velint.

Quae cum ita sint, addo dogma QUINTVM, scilicet *non opus esse cognitione Christi & euangelii ad salutem, sed ad eam consequendam rationem vtiq; sufficere.* Quod nisi iam pateret ex hypothese praecedente, alia insuper eaque facillima demonstratione confici posset. Attendite enim ad sequentia: salus aeterna est necessarium consequens iustificationis; haec est iustitia habitualis a DEo infusa, quae simul delet peccandi libidinem; dependet vero a dispositionibus aut operibus praeparatoriis, quae sunt cordis contritio, iustitiae diuinae metus, consideratio misericordiae DEi, spes per eam excitata, propositum DEum diligendi, & mandata seruandi, quantum id pro virium nostrarum imbecillitate fieri potest; cognitio quam hae voluntatis & affectuum commotiones praesupponunt, mere naturalis est. Ratio enim agnoscit aliquo modo peccatorum turpitudinem, iustitiam & misericordiam DEi, eum diligendi & praecepta eius seruandi necessitatem, & reliqua; potest igitur homo per rationis lumen ea facere, quorum certissimum consequens est aeterna salus; quid ergo opus est ad hanc consequendam cognitione Christi & euangelii?

Nec



Nec plane inaudita est haec doctrina apud Pontificios. Personuit enim & tolerata, imo vero tacite approbata est in ipsa Synodo Tridentina. Eo enim tempore, relatum legimus, Franciscanum quendam publice & communi patrum assensu docuisse, eos, qui Christi cognitionem nullam habuissent, & alioqui vitam egissent honeste, salutem esse consecutos. (t) ANDRADIVS, qui fuit ex Patribus Tridentinis, & optimus decretorum huius Concilii interpres celebratur, non veritus est dicere, philosophos gentilium ea, quam ex philosophia habuerunt, cognitione, & quam ipse fidem vocat, saluatos esse. Addit, Traianum Imperatorem propter iustitiam & pietatem naturalem orationibus Gregorii ab inferni poenis liberatum esse. (u) Historia haec, quae de Traiano narratur, inter Pontificios notissima, quamvis BELLARMINO suspecta aut penitus confecta videatur, ipse tamen diffiteri haud potuit, illius apologiam suo tempore editam esse ab ALPHONSO CIACONE, eamque creditam esse a multis Scholasticis & recentioribus Pontificiis. Imo si vera est, inquit, Traianus tantum punitus est in inferno secundum praesentia eius demerita, & suspensa est sententia condemnatoria propter praecursas B. Gregorii preces. (x) BENEDICTVM itidem PERERIVM palam professum esse, absque cognitione Christi saluari posse, quidam Theologorum nostrorum refert, eiusque haec verba recitat: *Satis erat antiquis hominibus, si qui, absque Christi fide manifesta, salutem consequuti sunt, habuisse fidem eius implicitam, in fide vnus DEi inclusam, credentesque, DEum esse humani generis saluatorem, secundum ordinem & modos ipsi notos, & in mirabili sua prouidentia occultos.* (y)

Quae

(t) Vid. IO. SLEIDANVS Comment. Lib. XXIII. p. 690.

(u) Vid. AEG. HVNNIVS aut, qui sub eius praesidio disputauit, MATTHIAS HOE ab HOENECK in Labyrintho Papifico §. 118. 119. p. 26. seq.

(x) Vid. BELLARMINVS de Purgatorio Lib. II. cap. 8. Dissp. Tom. II. p. 636.

(y) Vid. MICH. WALTHER in Dissp. de praesentia ethnicorum salute, inserta Disqu. Theol. de Anima P. II. p. 1090. seq.




Quae cum doceant Pontificii, aut saltem systemate suo docere cogantur, numquid dubitare potestis, CIVES CHARISSIMI, quin illorum doctrina, qua ingens illud iustificationis beneficium obscurarunt, semina Naturalismi contineat? Nonne eadem docuerunt Puccius, Cherbury, Collinus, Tindalius, alique, quos ea propter huius criminis reos esse factos, nemo ignorat? Animadvertite vero simul, quid contemptus verbi diuini efficiat, eosque, qui semel a recto tramite deflectunt, ab eo semper longius aberrare, & sic tandem excoecari, vt non videant, se ipsos pestilentissimos eos errores in sinu suo alere, quos in aliis magno zelo improbant & detestantur.

Quo malo ne quisquam Vestrum aliquando perdat, haec meditatio, quam pia donorum Spiritus Sancti largiffimae effusionis recordatio hodie in nobis excitauit, Vos quoque commonefaciat, nihil homini christiano magis necessarium esse, quam vt verbo DEI fideliter & tenacissime adhaereat, seque ab eo nulla persuasione, nulla virium naturalium de spiritualibus iudicandi praesumptione, nullaque humana sapientia vel auctoritate dimoueri patiat. Id enim qui facere negligit, eum suo sensu DEUS abundare permittet. Immittentur illi crassi errores, vt olim gentilibus, qui, naturali lumine desuper habita, corruptibiles DEOS sibi finxerunt, & propterea hodiernum adhuc ea gratia carent, cuius superabundantem mensuram nobis impertitus est misericordiarum pater.

Surgite ergo, o Nostri! generoso veritatis desiderio excitati, eamque sapientiam votis, precibus ac suspiriis quaerite, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, & quam solus ille Spiritus reuelare potest, qui ipsas diuinitatis profunditates scrutatur. Sinite, corda vestra efficaci huius Spiritus operatione aperiri, quando sanctissimum euangelium praedicatur, & mementote, Vos non humanam sapientiam, sed illud DEI verbum doceri, quod solum animas vestras saluare potest. P. P. in Academia Iulia Carolina

D. XVII. Maii. A. R. S. MDCCCL.





153883

X 2286633 ✓

ULB Halle 3  
007 138 997



R

ND 18









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DE  
RALISMO  
C ECCLESIAE

GRAMMA  
ENTECOSTES  
. S. MDCCL.  
A IVLIA CAROLINA  
P. P.

MSTADII  
CHNORRIANIS.